



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Nautae conuersio, & Catholici desperabundi, n. 16

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1587. cum insigni fructu adhibitus est Gadibus primùm deinde ad Sanctum Lucam, & Hispali, ad Anglos præcipuè ijs in emporijs iuandos; quanquã & ad indigenas eius pertinuit industria non sine opinione illo etiam tempore sanctitatis. Notabatur enim iam tum in illo indefessum precandi studium cum corporis aspera tractatione coniunctum, humilitas etiam singularis quam innata affabilitas condiebat. Qui eodem cum ipso utebantur cubiculo frequentissimè nixum genibus reperiebant, vt studendo orare, & orando studere videretur: tum etiam sub mensa incuruum nè quies ipsa sine molestia esset, humilia verò culinæ obire officia illi erat propè quotidianum. Anno octogesimo secundo vocatus in Angliam, nouam vestem interiorem quam paratam ad iter reperit, intactam reliquit veteri contentus; equum verò de via confestim vendidit, & pedes confecit iter in Gallias, vbi cum *Personium* conuenisset, acceptis ab eo literis ad notam non procul Londino domum, amicè quidem habitusest, sed vt erant illa tempora timoribus suspicionibusque plenissima, non ausa est hera tantum hospiti ignoto fidere vt sineret pernoctare: itaque honestè dimissus diuersum carpit iter Londinum versus, ne si communitritoque incederet à quopiam fortasse maleuolo obseruaretur; cum enim indicia à *Personio* data Hera non agnosceret, nouumque videretur *Personij* nomen, *Westonus* ipse aberrasse se domo existimabat, vel nouos inquilinos infedisse: paucos verò post dies incidit in Sacerdotem qui ad eandem domum deductum Heræ commendauit; illa facti pœnitens, & metum ipsa suum accusans, hominem colit, & viam ad multorum Catholicorum notitiam aperit. Hinc Philippum Arondeliæ Comitem anno insequenti reddidit Ecclesiæ, & ad vitam summa cum laude pietatis & moderationis instituendam salutaribus præceptis instruxit, alios complures in viam reduxit, firmavitque Catholicos. Duobus annis libertatem vltro citroque commeandi retinuit; tum dolo malo captus, in atrium Wintoniense Londini datus est in custodiam. Illustrissima Arondeliæ Comitissa habitu mentito intromissa in carcerem obtulit pecuniâ libertatem redimere: At. " Nequaquam, inquit *westonus*; Non mihi hæc captiuitas obuenerit pecuniæ causa; pecuniâ, me volente, non redimetur: Deus cum volet eorum animos qui me hic clauerunt permouebit vt restituar libertati; in eius Prouidentia conquiesco.) In atrio Wintoniensi nauta quidam tenebatur quem ad exportandas occultè merces conduxerant nocturni fures; hic cum frequens ad *Westonum* seruitij causa itaret, pecuniolam aliquando petijt, quâ libertatem emere sperabat: " Dabo, inquit *Westonus*, at tu libertatem non impetrabis; provide itaque animæ tuæ, eamque in tuto colloca) simulque quid esset agendum docuit; quæ ille cum auide & sæpius audiuisset factus Catholicus damnatur. Quæsitus ad carnem Caluinisticam cum ceteris facinorosis ante supplicium pro more sumendam, professus se Catholicum reculauit. Tum oblatâ vitâ & libertate si omnis nostris eorum rursus rationes sequi vellet, perstitit in fide recens recepta constans, & miseram hanc vitam certâ spe gloriæ sempiternæ commutauit.

Alter

Capiturnec
vult redi-
mi pecuniâ

Nautæ cõ-
uersio,

Alter quamuis Catholicus inducere in animum non poterat vt quæ olim ^{1567.} peccauerat fateretur, sperans inediã & cætera carcerum duritiæ fidei causa ^{Et Catho- lici despe- rabundi,} toleratã labem omnem contractam eluere: sefellerat eum malus dæmon, & vanã primũ lætatum spe, demum in desperationem adactum turbã suorum alleclaram in conclaue vbi iacebat irrupentium obsidebat. Adit hominem *Vestonus*; solatur; hortatur; spem facit impõrtunos hostes effugandos si se Christi instituto & Ecclesiæ moribus accommodet, rogando quædam aperit illi viam ad reliqua, donec vero oborto dolore factus sui ipsiusmet acculator, quos singulos prius conspexerat recedentes, nunc turmatim fugatos stare cernit ad ostium minantes si progredereetur: Euincit tamen atq; ab omnibus liber, salutariis Sacramentis donatus & refectus, ad reliqua carceris incommoda cum merito sustinenda munitus est.

XVII. Apud Wisbicum in finibus Cantabrigiensibus & Norfolciensibus Arx est loco humidissimo posita, paludibus vndequaue cinctã. Huc Magistratus Hæreticus Sacerdotes complures Londino transtulerat; eo fortasse animo vt quos puderet publicè plectere, loci pestilentia conficeret; vel certè vt frequētissima ciuitate absentibus & annona esset arctior, & minor cum proximo de salute æterna agendi opportunitas. Isthuc *Vestonus* post aliquot annos transmìssus reperit supra triginta Sacerdotes Catholicos & Laicos quosdam summã mentis equabilitate, animorum ^{sacerdotum proborum in arce wisbicen viuendi ratio,} concordia integerrimã; admirabili actionum omnium diurnarum nocturnarumque dispositione cælestem imitantes vitam: erat frequens precatio, lectio diligens, diuinarum literarum in certas horas distributa interpretatio; nihil nisi Sanctum in suorum aut heterodoxorum aures oculosque incurrebat. Hi aduentu *Vestoni* læti (quem fama Sanctitatis & Doctrinæ & multarum pro Christi fide perpeffionum præcucurrerat) cum adhibent adiutoiem, & penè ducem eius quod susceperant propositi: Ipsum in disputationibus de dogmatibus Controuersis posuere moderatorem, ipsum Græcæ & Hebræicæ linguæ interpretem; ipsum congregati auidissimè de rectæ vitæ legibus differenter audiebant. Et erat illi vitæ genus de quo sibi meritò omnes promittere possent ea quæ essent diuinissima. Nam inter precandum noctes iungebat diebus, vt Sacerdos qui erat ei contubernalis assereret, toto anno non vidisse se in lecto stratum, nisi paucis diebus cum esset æger; reliquo tempore aut stans, aut sedens, aut in genua procumbens orabat, somni aliquantulum carpens tum solum cum opprimeretur; inter æquales humilis, in alloquijs mitis in se seuerus; in reliquos facilis, omnes pij ac prudentis viri partes adimplebat. Post annorum aliquot curriculum inducuntur, fidei quidem causã detenti, ^{Vnde nata turbatio,} at acerbo atque inquieto ingenio, & in Societate malè animati homines duo; Is videlicet quem sapius dixi vir inuidus, & Doctor quidam medicus; quorum libenter parco nominibus, quoniam licet iudicio ipsi suo à Societatis rationibus dissenserint, eamque verbo sapius & scripto laceffuerint; quo tamen loco eorum nunc nomina scribenda sint, Dei Iudicio permit-